



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber Primvs Proœmialis ad Metaphysicam siue scientiam de ente
incorporeo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)



R. P.
RICHARDI LYNCEI,
SOCIETATIS IESV,
Vniuersæ Philosophiæ Scholasticæ
TOMVS TERTIVS.

LIBER PRIMVS

Proœmialis ad Metaphysicam siue scientiam de ente incorporeo.



En postremam, ac difficillimam totius Philosophiæ partem, eam videlicet, quæ circa res incorporeas, ac sensibus minimè obuias versatur: *difficillimum est*, (inquit Claudian. Mam. lib. 3. de stat. anim. capite 2.) *incorporea contemplari, quia fallax visus corporalium sensuum ita à peccato oculo imbecille mentis obnubilat, ut cum se, vel Deum contemplari vult, imaginum corporearum velamen, quod sibi pretextitur, solum videat, cum trans illud videre non possit.* Ceterùm difficultas huius scientiæ eius dignitate compensatur, quantumque reliquis scientiis difficilior, tantumdem iis dignior est: utpote quæ dignissimum, ac nobilissimum objectum, nimirum ens prout à materia abstractum, & defæcarum, animum spirituale, intelligentias, Deumque ipsum contemplatur. Objecta autem recensita esse materiam adæquatam Metaphysicæ, si solam animam rationalem, siue substantiam immaterialem incompletam excipias, apud omnes receptissimum est: quòd autem anima rationalis, quatenus talis est, & in esse, atque operari à materia independens est, sit etiam objectum Metaphysicæ (sicuti nonnulli antiquiores apud Toletum 1. de anima quæst. 2. arbitrati sunt, & Pater Suarez disp. 1. metaph. sect. 2. num. 18. probabile censet) in hunc modum ostendo. Primò, quia anima rationalis in eo conuenit cum Deo, & Angelo, quòd sit substantia spiritualis intellectiua, & volitiua; atque in esse, & in operari à corpore independens: igitur sicuti his de causis agitur in Metaphysica de Deo, & Angelo, non erit, cur anima rationalis sub eius considerationem non cadat. Quòd autem anima rationalis sit forma corporis, illudque sentire, ac

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

vegetare faciat, arguit quidem animam, quæ sensitiuam, ac vegetatiuam ad scientiam de ente corporeo attingere, non tamen quatenus rationalis est, & à corpore independet: haud secus ac de Deo, quatenus primus motor mundi visibilis est; & de intelligentiis, quatenus cælos rotant, in Physica, seu scientia de ente corporeo agitur: id tamen non obest, quominus ad Metaphysicam spectent, quatenus sine ordine, & habitudine ad corpus considerari possunt.

Rursum: anima rationalis, ut talis vel ad Physicam, vel ad Metaphysicam spectat: quòd enim Simplicius, & Themistius aiunt, animam prout independentem à corpore, nec ad Physicam, nec ad Metaphysicam attingere, sed ad Mathematicam, non illam figuris, & numeris adstrictam, sed aliam quandam scientiam mediam, quæ nec Physica, nec Metaphysica sit: id à reliquis Philosophis meritò exploditur: diuisio autem scientiarum penes arbitrium Philosophorum est, uti constabit in loco. Minor suadetur, quia Physica solùm agit de formis inseparabilibus à materia, ut docet Aristoteles 6. metaphys. text. 2. ibi: *Physica theoretica quadam est, sed theoretica circa tale ens, quod est possibile moueri, & circa substantiam, quæ est secundum rationem, ut secundum magis non separabilem solum.* Et non longè infra: *ideoque & de anima aliqua speculari est Physici, quæcumque non sine materia est.* Tum sic: Physica solum est de formis à corpore inseparabilibus: at anima rationalis ut talis à corpore inseparabilis non est.

Porrò inter omnia objecta Metaphysicæ objectum, cui reliqua attribuuntur, siue subiectum eius duntaxat, est ens reale in communi, prout à creato, & increato, materiali, & immateriali, completo, & incompleto, necnon à primis decem generibus abstrahit, eaque omnia realiter complectitur, ut docet perspicuè Aristoteles 4. metaph. cap. 1. ibi: *Est scientia quadam, quæ speculatur ens prout ens est, ut quæ ei per se insunt:*

A &


& paucis interiectis: Nulle namque caterarum uniuersaliter de ente, prout ens est, considerant; sed eius aliquam partem abscindentes, quod ei accidit, speculantur. Et ibidem inferiùs: Manifestum igitur est, quia entia unius est scientia speculatiua in quantum entia, & mox indidem: Omnis autem generis unius est sensus unus, & scientia, ut Grammatica una omnes speculatur voces: quapropter & entis, in quantum est ens, quasumque species speculatiua unius est scientia genere, & species specierum. Vnde sic argumentor: obiectum attributionis cuiuscumque scientiæ speculatiuæ ab arbitrio inuentoris, & plerorumque sectatorum dependet; at Metaphysica scientia speculatiua est, ut nunc liquebit: eiusque obiectum attributionis finemque voluit Aristoteles inuentor Metaphysicæ saltem Aristotelicæ, esse ens ut sic, ut ex adductis testimoniis liquidò constat: eique communiter reliqui Philosophi ad stipulati sunt, nimirum D. Thomas, Scotus, Albertus, Aphrodis. Commentator Auicenna, Soncinas, Ægidius, Soarius, Fonseca, aliique, quorum census prolixus foret.

Postremò Metaphysicam nulla ratione practicam esse, sed potiùs omnino speculatiuam, absque longa speculatione quibus animaduertet; cum præcipua, & pleraque eius obiecta citra actionem, praximue sint: tamen autem eatenus parte, qua de ente, de vno, vero, & bono, de accidenti, & prædicamentis agit, ad alicuius rei executionem dirigere possit; tamen acroamatica, & scientifica eorum obiectorum notitia ad Metaphysicam spectans non habet pro fine ordinatè expectabili eorum obiectorum executionem; quis enim altissima huius scientiæ principia propter alicuius accidentis motus localis, verbi gratia, executionem semper facilem, & sæpè inutilem ordinatè expectat. Vnde finis huius scientiæ non est actio, sicuti ad facultatem practicam oportet, sed ipsa veritas, prout ad speculationem requiritur. Plura alia circa obiectum, modumque tendendi Metaphysicæ dici poterant: quæ tamen, quia facilia, in præsentiarum, vel penitus omisimus, vel breuiter attigimus; eo certè consilio, ut in rebus difficilibus postea nobis liceat esse longiores.



LIBER SECVNDVS.

De essentia & attributis entis incorporei præcisè sumpti, siue entis ut sic.



TRACTATVS I.

Quousque essentia entis ut sic distinguatur ab existentia.

CAPVT I.

Essentiam aptitudinalem creatam distinguere realiter ab existentia verius est.

ITA B. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 4. & 2. contra Gent. cap. 32. cui eius ad stipulantur asseclæ. Ita etiam Scotus in 3. dist. 6. quæst. 1. cui etiam eius discipuli adherent. Ac demum ita schola nostræ Societatis Molina 1. p. quæst. 3. disp. 2. Fonseca 5. metaphys. cap. 6. quæst. 6. & cap. 8. quæst. 5. Albertinus tomo 2. corollariorum disp. 1. quæst. 1. Collegium Conimbricense 1. de interpretat. cap. 1. quæst. 2. art. 2. Pro quorum, ac nostræ sententiæ probatione præmitto primò, possibilitatem intrinsecam rerum distinguere realiter ab existentia, quam possibilem denominat. Suadetur primò, quia etiam eorum, qui non distinguunt essentiam actualem ab existentia, plures distinguunt possibilitatem intrinsecam ab existentia, aiuntque hos esse diuersos status. Vide Hurtadum in præfati. Secundò, quia possibilitas est ab æterno, existentia verò in tempore, possibilitas necessaria, existentia contingens; possibilitas improducta, existentia producta: igitur distinguuntur. Dices, distinguere ob argumentum factum possibilitatem extrinsecam prouenientem formaliter ab omnipotentia, distinguere, inquam, ab existentia. Sed contra: quia ideo omnipotentia ab æterno potest producere, quia res

est possibilis, & non repugnans intrinsecè: igitur hæc possibilitas intrinsecam est distincta ab existentia. Contra secundò: quia tam vera est hæc propositio; ab æterno homo intrinsecè est possibilis; ac est vera hæc; in tempore homo est existens: ergo sicut homo non denominatur in tempore existens per aliquid extrinsecum; ita neque possibilis præcisè per aliquid extrinsecum; alioquin cedo rationem, cur res non sit existens præcisè per aliquid extrinsecum, sicut est possibilis præcisè per aliquid extrinsecum. Confirmatur: quia sicut cum dicitur, homo est possibilis, hæc denominatio est omnino extrinsecam; ita similiter denominatio durantis, vbicati, similis, possent esse omnino extrinsecam ab omnipotentia. Contra tertio: quia chimæra est ab æterno intrinsecè impossibilis, & non præcisè per denominationem ab omnipotentia, aut alio extrinsecò, ut in Physica fusè probauimus: ergo similiter, &c.

Præmitto secundò, essentiam eam esse, per quam res constituitur in ratione entis. Probatur, quia existentia est ea, per quam res constituitur existens: ergo à pari, essentia est, per quam res constituitur essens, siue ens: id quod D. Thomas de ente & essentia cap. 2. perspicuè docet, ibi: *Nomen igitur essentie non sumitur ab ente secundo modo dicto; aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quæ essentiam non habeant, ut patet in priuationibus; sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto: unde commentator in eodem loco dicit, ens primo modo significat substantiam rei.* Vnde sic argumentor: essentia sumitur ab ente, idque dicitur ens, quod essentiam, siue substantiam aliquam habet: ergo essentia est, per quam res constituitur in ratione entis: quemadmodum si homo est id, quod corpus, & animam habet, rectè sequitur corpus, & animam esse, per quæ constituitur homo in ratione hominis.

Præmitto tertio, ens esse id, quod potest esse, seu quod